

Auf dem Flug nach Berlin
am 13. 2. 74 brach eine
Weinflasche. Das Ergebnis
ist der Zustand dieses Buches.

Ante divinum Officium

Aperi, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, perversis et aliénis cogitatióibus; intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Offícium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dñum nostrum. *R.* Amen.

Dómine, in unióne illius divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas (vel hanc tibi Horam) persólvo.

Ante singulas Horas

Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatióem: sed libera nos a malo. Amen.

Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

*In princ. Matutini
ac Primæ*


Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúl-tus: descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, Sanctórum communióem, remissionem peccatórum, carnis resurrecciónem, vitam ætérnam. Amen.

BREVIARIUM ROMANUM

EX DECRETO
SS. CONCILII TRIDENTINI RESTITUTUM
S. PII V PONTIFICIS MAXIMI JUSSU EDITUM
ALIORUMQUE PONTT. CURA RECOGNITUM
PII PAPÆ X AUCTORITATE REFORMATUM

*cum Psalterio secundum novam
e textibus primigeniis interpretationem latinam
Pii Papæ XII auctoritate edito.*

Editio amplificata Taurinensis decima



PARS HIEMALIS

TAURINI **MARIETTI** ROMÆ
S. Sedis Apostolicæ et S. Rituum Congr. Typographi



MAURILIUS
TITULI S. MARCELLI S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
FOSSATI
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPUS TAURINENSIS
SACRÆ THEOLOGIÆ ET JURIS UTRISQUE FACULTATUM
MAGNUS CANCELLARIUS

Cum dilecti filii Nostri MARIETTI, S. Sedis ac S. Rituum Congregationis Typographi, novam hanc Breviarii Romani editionem formæ in-18, ut aiunt, et in quatuor volumina distributam, ea qua par est sollertia comparaverint, eamque imprimendi atque evulgandi licentiam a Nobis suppliciter petierint;

Nos, tam Decretis URBANI PP. VIII s. m., qui solemniter sanxit ne quisquam ex typographis Romanum Breviarium edere posset quin prius ab Ordinario loci veniam — et quidem scriptis dandam — obtinisset, quam normis super hac re a C. J. C. traditis inhærentes, Revisori Nostro, ad hoc officium specialiter deputatum, præfatam editionem perpendendam commisimus.

Qui, cum Nobis retulerit eam plane congruere cum adprobatis Breviarii Romani editionibus, petitam licentiam libenter in Domino concedimus.

Cujus rei in fidem, hasce litteras manu Nostra signavimus et Cancellarii Nostri chirographo communivimus.

Dabamus Taurinorum Augustæ, die 4 Januarii 1950.

† M. Card. FOSSATI, *Archiepiscopus*.

L. ✕ S.

C. Pius Battist, *Cancell.*

* Brev. 18.

mus: * Et ideo triumphat in cælis coronatus. *V.* Mortem enim, quam Salvator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. - Et. - Glória Patri. - Et.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix

Alii istum volunt esse Zachariam, qui occisus est a Joas rege Judæ inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum, quod ille Zacharias non sit filius Barachia, sed filius Jójadæ sacerdotis: unde et Scriptura refert: Non fuit recordatus Joas patris ejus Jójadæ, quia sibi fecisset bona. Cum ergo et Zachariam teneamus et occisionis consentiat locus: quærimus, quare Barachia dicatur filius, et non Jójadæ? Barachia lingua nostra Benedictus Domini dicitur, et sacerdotis Jójadæ justitia hebræo nomine demonstratur. In Evangelio, quo utuntur Nazaréni, pro filio Barachia filium Jójadæ reperimus scriptum.

Te Deum laudamus II.

AD LAUDES

et per Horas

Ant. I Lapidaverunt Stephanum, * et ipse invocabat Dominum, dicens:

Ne statuas illis hoc peccatum.

Psalmi de Dom. I loco 47.

2 Lápides torrētis * illi dulces fuerunt: ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

3 Adhæsit anima mea * post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus.

4 Stéphanus vidit * cælos apertos, vidit, et introivit: beatus homo, cui cæli patébant.

5 Ecce video * cælos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.

Capit. Act. 6, 8

Stéphanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

Hymnus

Invicte Martyr, unicum Patris secutus Filium, Victis triumphas hostibus, Victor fruens cælestibus.

Tui precatus munere Nostrum reatum dilue, Arcens mali contagium, Vitæ repellens tædium.

Soluta sunt jam vincula Tui sacrati corporis: Nos solve vinculis sæculi Dono supérni Núminis.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine, Cum Patre, et almo Spíritu,

In sempiterna sæcula.

Amen.

*Deo Patri et gloriæ
ect.*

V. Justus ut palma flo-
rébit. R. Sicut cedrus Lí-
bani multiplicábitur.

Oratio

Da nobis, quásumus,
Dómine, imitári quod
cólimus: ut discámus et
inimícos dilígere; quia ejus
natalítia celebrámus, qui
novit étiam pro persecutó-
ribus exoráre Dóminum
nostrum Jesum Christum,
Fílium tuum: Qui tecum.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Psalmi de
Nativitate 411.

Capit. Act. 6, 8

Stéphanus autem plenus
grátia et fortitúdine,
faciébat prodígia et signa
magna in pópulo.

Hymnus

Deus, tuórum militum
Sors et coróna, præ-
mium,
Laudes canétes Mártiris
Absólve nexu críminis.
Hic nempe mundi gáudia
Et blanda fraudum pá-
bula

Imbúta felle députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sán-
guinem,

Æténa dona póssidet.

Ob hoc precátu súplici
Te póscimus, piíssime:
In hoc triúmpho Mártiris
Dimítte noxam sérvulis.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,

In sempiterna sácula.

Amen.

V. Stéphanus vidit cæ-
los apértos. R. Vidit, et
introívit: beátus homo, cui
cæli patébant.

Ad Magnif. Ant. Sepe-
liérunt Stéphanum * viri
timoráti, et fecérunt plan-
ctum magnum super eum.

Et fit Com. seq. et Oct.
Nativitatis, ut infra 423.

¶ De Octava S. Stephani,
sicut et de Octavis S. Joan-
nis et Ss. Innocentium, nil
fit, nisi in ipsa die Octava,
ut suis locis notatur.

** laus et gloriis gloria
patri natoque filio
sancto simul parachito
in sempiterno seculo*

S.

Omnia
lorum
hic hat
Pro C
annis i
phani:

L

buit: b
revelát
léstia.
V. V:
beátus
supra
cena

E ccl
n
ut, be
tui et
náta
pervér
Dómi
Pro C

Ant.
tus e
appár
canun
Archá
tant j
in ex
V. N
allelú
allelú

Jesu, tibi sit glória,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, et almo Spí-
 ritu,
 In sempiterna sácula.
 Amen.

V. Hic est discipulus ille,
 qui testimónium pérhibet
 de his. *R.* Et scimus quia
 verum est testimónium
 ejus.

Ad Bened. Ant. Iste est
 Joánnes, * qui supra pec-
 ctus Dómini in cœna re-
 cúbuit: beátus Apóstolus,
 cui reveláta sunt secréta
 cæléstia.

Oratio

Ecclésiám tuam, Dómi-
 ne, benígnus illústra:
 ut, beáti Joánnis Apóstoli
 tui et Evangelistæ illu-
 mináta doctrínis, ad dona
 pervéniat sempiterna. Per
 Dóminum.

Et fit Com. Oct. Nativitatis:

Ant. Glória in excélsis
 Deo, et in terra pax ho-
 mínibus bonæ voluntátis,
 allelúja, allelúja.

V. Notum fecit Dómi-
 nus, allelúja. *R.* Salutáre
 suum, allelúja.

Oratio

Concède, quæsumus,
 omnípotens Deus: ut
 nos Unigéniti tui nova
 per carnem Nativitas lí-
 beret; quos sub peccáti
 jugo vetústa sérvitus te-
 net. Per eúndem Dómi-
 num nostrum.

AD PRIMAM

Ant. Valde honorándus
 est * beátus Joánnes, qui
 supra pectus Dómini in
 cœna recúbuit.

AD TERTIAM

Ant. Hic est discipulus
 ille, * qui testimónium
 pérhibet de his: et sci-
 mus quia verum est testi-
 mónium ejus.

Capit. Qui timet, *ut infra in*
II Vesperis 429.

R. br. In omnem terram
 * Exívit sonus eórum. - In
 omnem. *V.* Et in fines
 orbis terræ verba eórum.
 - Exívit. - Glória Patri. -
 In omnem.

V. Constitues eos prin-
 cipes super omnem terram.
R. Mémoires erunt nómi-
 nis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Ant. Hic est discipulus
 meus: * sic eum volo
 manére, donec véniam.

Capit. *Eccli. 15, 3*

Cibávit illum pane vitæ
 et intelléctus, et aqua
 sapiéntiæ salutáris potá-
 vit illum Dóminus, Deus
 noster.

R. br. Constitues eos
 principes * Super omnem
 terram. - Constitues. *V.* Mé-
 mores erunt nóminis tui,
 Dómine. - Super. - Glória
 Patri. - Constitues.

V. Nimis honoráti sunt amici tui, Deus. *R.* Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Ant. Ecce puer meus * eléctus, quem elégi, pósui super eum Spíritum meum.

Capit. *Eccli. 15, 5*

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit illum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ induit eum.

R. br. Nimis honoráti sunt * Amici tui, Deus. - Nimis. V. Nimis confortátus est principátus eórum. - Amíci. - Glória Patri. - Nimis honoráti.

V. Annuntiavérunt ópera Dei. *R.* Et facta ejus intellexérunt.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Psalmi de Nativitate 411.

Capit. *Eccli. 15, 1-2*

Qui timet Deum, fáciat bona: et qui conti-nens est justitiæ, apprehéndet illam et obviábit illi quasi mater honorifi-cata.

Hymnus

Exsúltet orbis gáudiis, Cælum resúltet láudibus:

Apostolórum glóriam Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices Et vera mundi lúmina, Votis precámur córdium: Audíte voces súpplícum.

Qui templa cæli cláuditis Serásque verbo sólvitis, Nos a reátu nóxios Solvi jubéte, quásumus.

Præcépta quorum prótinus

Languor salúsque séntiunt, Sanáte mentes lánguidas, Augéte nos virtútibus:

Ut, cum redíbit árbitér In fine Christus sæculi, Nos sempitérni gáudii Concédát esse cómpotes.

Jesu, tibi sit glória, X Qui natus es de Vírgine, Cum Patre, et almo Spírítu,

In sempitérna sæcula. Amen.

V. Valde honorándus est beátus Joánnes. *R.* Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit.

Ad Magnif. Ant. Exiit * sermo inter fratres, quod discipulus ille non móritur; et non dixit Jesus, Non móritur: sed, Sic eum volo manére, donec véniam.

Et fit Com. sequentis et Oct. Nativitatis, ut infra 430.


X Pater simulque Filio
 Spiritusque Sanctus
 non sunt nisi unus
 sed sunt per omnia glória suam.

Printed in Italy

Tipografia della Casa Editrice Marietti - Via Legnano, 23 - Torino
Stampato in Novembre 1949.

1190. 1 VII 03

170.





BREVIARIUM
ROMANUM



PIEMALIS

